

funt; eadem Joannes Hierosolymitanus Patriarcha, in LXXVII. Carmeli gradibus, ex Eliæ præcepto, ab ejus discipulo recensitis, septuaginta septem Lucæ generationes adumbratas fuisse cognovit, post quas mystica Nubecula, B. utique Maria sese moralibus visendum præbuit, & quidem ab omni peccati vel pondere, vel amaritie immunem, non minus quam Nubecula illa nullam originariam maris, aut amaritudinem, aut molem contraxisset.

SECTIO XIX.

B. Virginem ex Joachimo & Anna fuisse conceptam. Ubi qua utroque ratione Evangelicæ Genealogiæ connectantur.

Ad Matthæi Cap. 1. vers. 15. Mathan autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Joseph virum Maria.

Lucæ Cap. 3. vers. 23. Qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, &c.

495 C. Ertissimus est S. Augustini Canon, in Epistola 118. cap. 1. quem de Apostolicis Traditionibus cognoscendis præscripsit. Illa, que non scripta, (in sacris nempe Bibliis,) sed tradita custodimus, que quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel à Sanctis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri. Quem quidem Canonem, si usquam aliàs, in Ferris certè, aut Mysteriorum, aut Sanctorum hominum celebrandis, vim habere, censet, cum Augustino, Isidorus Hispalensis erat. 1. de Officiis Ecclesiasticis Cap. 44. Ab hoc ergo verissimo Canone argumentum efficax ducimus, quo probemus, consistere per Apostolicam Traditionem, B. Virginem Deiparam ex Joachimo, & Anna per verum, ac physicum legitimum matrimonium congressum fuisse conceptam. Apostolica Traditio est, Deiparam ex Joachimo & Anna per verum legitimum matrimonium congressum fuisse conceptam. Patrum Auctoritas.

Augustini canon.

S. August.

Apostolica Traditio est, Deiparam ex Joachimo & Anna per verum legitimum matrimonium congressum fuisse conceptam.

Patrum Auctoritas.

vita & dormit. Deiparæ S. Vincentius Ferrerius serm. 1. & 2. de Nativ. B. Mariæ, & serm. de S. Anna, S. Antonius in summa, Parte 4. Titulo 15. c. 6. §. 1. Adde vetustos etiã Rituales libros, qui vel sanctæ Annæ, & S. Joachimi Officia continerint, vel si aliter tantum, utrorumque tamen conjugum sanctissimorum, atque Mariæ Parentum laudes jam pridem commemorarint; nempe antiqua Brevaria, Hispalense, Braccarense, Cordubense Ordinis S. Jacobi, & pleraque alia. Hæc tam vetusta, tam universalis, tam constantis, ab Ecclesia Christi condita, Christiani populi consensus, cum nullam ab Ecclesiastico aliquo Concilio originem agnoscat, Apostolicæ prorsus traditioni accepta referenda est, de Augustini, Isidori, ac Theologorum omnium sententia.

496 Sed quoniam eandem SS. Deiparæ Conceptionem ab Adamo, Abrahamo, Davide, Salomone, cæterisque deinceps Evangelisticis Progenitoribus, hucusque derivavimus; doctrinæ consequutio, atque perfectio poscit, ut rationem etiam explicemus, qua Joachimus, & Anna ab illa ipsa Patriarcharum, Regum, ac Procerum stirpe genus repetant, id est, ut gloriosos Mariæ parentes Evangelicæ Matthæi Genealogiæ sic atexamus, ut eorum avos designemus, & proavos, ac tandem constet, totum illum avorum Catalogum, Mariæ, & Christi causâ, ab Evangelicis fuisse contextum.

497 S. Hieronymus lib. 1. contra Helvidium, hanc reddit rationem, ob quam divinitus provifum est, ut Beata Virgo Josepho consanguineo suo nuberet; ut per Genealogiam Joseph, cui Maria cognata erat, origo quoque Mariæ monstraretur. Sapienter ille quidem, & Evangelicè, quod vel ex illa Matthæi epigraphe haud obscure conficitur: Liber generationis Jesu Christi: neque enim Jesu Christi generatio ea fuerit, nisi Matris ejus Genealogia describatur. Igitur illa, quam Matthæus generationem Jesu Christi dixit, etiam Josephi esse solius videatur, Mariæ simul Genealogia est; quin aliquid obstat, quod in Josephum desinat, quo minus eadem operâ Sponsæ genus fuerit demonstratum. Eadem est sententia Tertulliani Lib. adversus Judæos cap. 9. Eusebii Cæsariensis lib. primo Historiæ cap. 7. Hilarii Canon. 1. in Matthæo, Chryostomi, Theophylacti, & Euthymii Matth. 1. Ambrosii, & Bedæ Lucæ 3. Eusebii Emisleni Homil. de Nativitate Mariæ, Damasceni 4. de Fide cap. 14. Nicephori lib. 3. Cap. 11. & communis Patrum, atque interpretum. Nimirum singulare hoc fuit Divinæ providentiæ consilium, ut Deipara Virgo Josepho nuberet tantâ sibi consanguinitate conjuncto, ut qui Sponsi Avos, ac Proavos recenseret, idem eadem operâ eosdem percensisset Sponsæ Avos ac Proavos. Alioquin si Evangelista aliquos retulisset Patriarchas, qui ad Mariam non pertinerent, undecumque illos numerare cœpisset, inde generationem Jesu Christi desuisset scribere, inde proprio desuisset instituto, inde extrachorum saltasset, inde denique à proposita Libri sui epigraphe otiosè divertisset, quod nefas sit de Evangelist. pronunciasse.

498 Hinc fit, Josephum Mariæ secundo cognationis gradu fuisse conjunctum; quod ex superiori ratione ab Evangelio Matthæi ducta

Qua ratio- ne Joachimus & Anna ab illa ipsa Patriarcharum, Regum, ac Procerum stirpe genus repetant.

S. Hieron.

Josephi genealogia, Maria quoque genealogia est.

Josephus Mariae Sponsa ducta

se sue secundæ cognationis gradu fuisse conjunctum.

ducta, sapientissimi Interpretes, & Theologi docent. S. Thomas Matthæi 1. & Vincentius Regius lib. 1. in Evangelia Cap. 2. Theoria 12. tradunt Josephum fuisse sanguine propinquissimum Sponsæ Virginis, Maldonatus Matthæi 1. 16. cæteris cognatis maxime propinquum. Quod dilucidius docti viri sic explicant, ut SS. Sponsam, & Sponsam patruales fuisse asserant, duobus fratribus ortos, nam Josephi Patrem, quem Matthæus 1. 16. dicit Jacobum, & Mariæ Patrem Joachimum, fratres inter se esse, disertè docent Alphonsus Salmeron Tom. 3. Tract. 28. Lucas Brugensis in c. 1. Matth. v. 16. Petrus Moralus lib. 1. in Matthæum Tractatu 5. nu. 5. & Tractatu 8. num. 4. & Joan. Mariana Matthæi 1. 17. Atque in eandem sententiam, licet ex diversa ratione, conveniunt Annus Viterbiensis Dominicanus ad Brevarium Philonis Parte ultimâ, & eum sequuti viri quidem Theologiæ laude præstantes, Joannes Driedo, Petrus Galatinus, Cornelius Janfenius. Arias Montanus, Stephanus Salazarus, Lucidus, Gagneus, Palaius, aliique satis multi, quos citant & sectantur Svarius 3. Parte, Tomo 2. Disput. 2. Sectione 3. Barradius Tomo 1. Lib. 5. Cap. 30. & Catrius in Historia Deiparæ Cap. 1. numero 9. His ego authoribus, & multis doctis, de Josephi & Mariæ strictissima isthac cognatione libens consentio. De Annii verò, & affeciarum ratione latè dissentio, qua scilicet volunt, Heli illum, quem secundum à Josepho numerat Lucas cap. 3. 23. ipsissimum esse Mariæ patrem Joachimum; quem Jacobi, patris Josephi, fuisse fratrem putant, ex matre, non ex patre; nam ut Jacobi patrem ex Salomone ortum fuisse, cum Matthæo Evangelista credant; Joachimi autem patrem ad Mathanum putant esse referendum. Hanc inquam, hujus consanguinitatis rationem, qua prædicti auctores confingunt, Deiparæ patrem, non ex Salomonis familia ortum fuisse, sed ex Nathani stirpe procreatum, minime probò; quippe quam efficacibus argumentis convelli videam à Salmerone, Maldonato, Luca Brugensi nuper citatis, & à Gabriele Vaquez 3. P. Tomo 2. D. 127. Cap. 3. & 4. & à Cardinali Toletto Lucæ 3. Notat. 16. commentum hoc Annianum expugnantibus. Certè quidem, si non avum paternum, sed aviam maternam communem ex familia Salomonis habuerunt Joseph, & Maria, jam Matthæus scripserit librum generationis, non Jesu Christi, sed Josephi; utpote quæ ad hunc pertineat, non ad Dei Matrem, cujus paterna origo avita ex illa Genealogia non sit, quam Evangelista retexit. Ut igitur Matthæus simul cum Josephi Genealogia describeret generationem Jesu Christi, & Matris ejus, communem designavit utrique Josepho & Mariæ avum Mathanum, communibus exortu avavis. Atque hanc esse Sententiam antiquorum Patrum Hieronymi, & aliorum doctentium, originem Mariæ per Genealogiam Josephi propinqui fuisse retexam, omnino censeo.

Aliunde exponitur stricta Josephi ac Deiparæ cognatio.

499 Hæc porro tam stricta utriusque sponsi cognatio hunc in modum aliunde etiam exponitur: quia quæ femina Israelitica paternæ possessionis unica existeret hæres, tenebatur nubere cognato ex eadem Tribu, ac familia, maxime sibi propinquo; juxta præ-

scriptum legis Divinæ Num. 26. 11. Atqui B. Virginem unigenitam fuisse, atque adeo suorum parentum hæredem, auctores sunt gravissimi, S. Damascenus Orat. 1. de B. Mariæ Nativit. Euseb. Emislenus Homil. de eadem, Petrus Damianus in serm. de eodem Festo, Theophylactus & Euthymius Joannis cap. 19. Beatus Amadeus Rapiu 6. Apocalypsis: possuntque proferri omnes illi Patres paulò antè citati, asserentes Joachimum, & Annam esse Deiparæ parentes; simul enim docent, præter Annæ sterilitatem, ultimâ quoque senectute confectos, impares jam fuisse generationi, atque adeo ad unicam hanc familiam procreandam divinâ fuisse virtute provectos. Igitur unica paternæ fortis hæres nupsit Josepho, tamquam omnium cognatorum maxime propinquo, justa justo, hoc est, hujusce legis, sicut & cæterarum, observantissima, legibus eisdem obsequentissimo sponso.

500 Juvat exemplum Salphaaditarum Virginum, quo in hanc rem utuntur Patres, & quas constat suis consobrinis nupsisse, Num. 26. 11. Juvat, inquam, hoc exemplum, quo hanc quæstionem de Mariæ, & Josephi consubugio, explicant uterque Eusebius Cæsariensis lib. 1. Hist. cap. 6. & Emislenus in Homil. de Nativ. B. Mariæ, Ambros. Luc. 3. Severianus in Catena Græca, D. Thomas Matth. 1. D. Bonaventura 4. Sentent. Dist. 30. Art. 1. Quæst. 2. Juvat item aviarum Marianarum conjugium cum Jacob consobrinum suo, Liæ nempe, & Rachelis, Mariam adumbrantium Genesis 29. v. 10.

501 Concludo ergo cum SS. Doctoribus, Hieronymo, cæterisque, quos appellavi, gravissimis Patribus, ac Theologis, per Genealogiam Josephi, originem quoque paternam Mariæ ab Evangelista fuisse traditam, utpote hæredis paterni primogenii, propinquissimæ consanguineæ, id est consobrinæ ejusdem Josephi; atque adeo sanctissimos sponso ex duobus fratribus ortos esse, communemque avum habuisse Mathanum, quem Matthæus Cap. 1. vers. 15. genuisse scribit Jacobum patrem Josephi; cum Joachimum etiam genuerit Mariæ patrem. Cur autem non hunc expresserit in Genealogia, sed solum Jacob, postea explicabo.

502 Nunc ut eidem Genealogiæ eundem Deiparæ patrem Joachimum strictius adnectam, addo illum primogenitum fuisse Mathani, ac majorem natu Jacobo; atque adeo universâ primogenii jura Abrahamo quondâ, Isaac, & Jacobo Patriarchis divinitus promissa, Judæ etiam, Davidi, Salomoni, cæterisque proavis collata, ad Patrem Deiparæ, utpote primogenitum, pertinuisse, & per eum, ejusque unicam hæredem filiam Mariam ad Christum nepotem fuisse devoluta. Argumentum duplex mihi est: primum, quod non aliam videam rationem, propter quam, tam accurato Sanctorum vatum, atque Canonicorum scriptorum studio, tradita fuerit omnium hæredum nobilissima successio; nisi ut Mariæ, ejusque filio prædictorum Patriarcharum, Principum, Regum, ac Ducum hæredi, ea Patriarchalia, ac Regalia primogenia succedaneo jure deferrentur. Jura, inquam; nam de possessione, comperitum est, Matrem, & Filium eâ se libenter abdicasse. Huc benedictionem illam Jacobi Patriarchæ Genesis 49. v. 10. Non auferetur sceptrum

Joachimus Maria pater natu major Jacobo fratre Josephi patre.

Gen. 49.10. sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est; supra referabamus. Huc etiam illud Ezechielis 21. 27. vaticinium spectasse diximus, quo Judaicam coronam, hoc est, jus illius hereditarium, non fuisse defuturum, donec ille venisset, ad quem maxime pertineret, supra observavimus: Et hoc non factum est, donec veniret cuius est iudicium, & tradam ei; ac pleraque id genus alia. Præter hoc gravissimum Scripturarum argumentum, haud tenue in Joachimo Mariæ patre, in privata illa fortuna, interlucet primogenii documentum, quod Jacobum Josephi patrem excederet. Illud potro à discrimine illo petitur, quod inter utriusque domesticum censum Evangelia, & Patres observarunt. Nam tripartita opum distributio, qua Joachimus partem in Templi cultum, partem in peregrinorum & pauperum subsidium, partem in familiam alendam conferebat, autoribus Hieronymo in Libro de Ortu Mariæ, Germano in Encomio de ejus Præsentatione, Anatolio, & Antiocho supra citatis, arguit longè locupletius fuisse illum, utpote primogeniti, patrimonium, quam secundo nati Jacobi, qui, inopiæ sollevandæ causâ, Josephum filium fabrilis arti addixerit, quam ipse fortè profiteretur. Nam moris fuisse apud Hebræos, etiam nobiles, ut cui facultates non suppetere, quibus familiam honestè aleret, filios ad artem addiscendam urgeret, ex ipsorum monumentis docet Nicolaus Serarius in Opusculo & sancto Paulo num. 12. Neque hoc discrimen inter Joachimi opulentiam, & Jacobi inopiam, ad alias videtur referri debere rationes, industriae, sœnoris, lucris, quæ & familiæ, & horum virorum honestatem, ac simplicitatem minus decerent. Naturæ ergo, non fortunæ, ea primogenii differentia fuit, ad quod majorum hereditates ex Divina lege maxime pertinent.

503 Quo autem pacto cum his, quæ de Virginis, & Josephi cognatione, atque de Joachimo, & Jacobo eorum patribus diximus, ea conveniant, quæ de eisdem scribunt Joannes Hierosolymitanus Libro de Instit. Monach. Cap. 33. & Damascenus l. 4. de Fide c. 15. haud ineptè explicuisset Tornellus in Annalibus, anno Mundi 3911. num. 3. & 3987. nu. 5. & 4037. nu. 3. si addidisset, Lucæ Genealogiam, non Sacerdotalem, sed Legalem fuisse, quæ communior est Patrum sententia. Nos tram de Joachimi primogenitura, postquam hæc scripsimus, aliis placuisse legimus, quod nobis libenter gratulamur.

504 Non dissimularim, revelationem Gabrielis Archangeli recitari in Apocalypsi Amadei Franciscani Raptu 5. dicente, Mariam & Josephum tertio consanguinitatis gradu conjunctos fuisse; Joachimum patrem Mariæ, & Jacobum patrem Josephi, non inter se fratres, sed patruales esse; avos autem paternos utriusque sanctissimi Sponsi fratres quidem fuisse eadem matre, eodemque patre exortos; atque adeo Josepho, & Mariæ communem extitisse proavum Eleazarum, cujus meminit Matthæus Cap. 1. 15. & quem Gabriel cognominat Heli, hisce verbis: *Mathan, & Heli fuerunt germani ex eodem patre, & eadem matre nati. Mathan genuit unum filium, quem vocavit Heli, nomine patris sui jam defuncti, & Jacob; qui Jacob, mortuo fra-*

Cur Josephus fabrilis arti additus.

Revelatio Gabrielis Archangeli de consanguinitatis gradu inter Josephum, & Mariam.

Amadeus.

tre suo Heli sine liberis accepit uxorem fratris sui, juxta legem Domini, & genuit hunc Josephum sanctum. Heli verò frater Matban senior genuit Joachim, & defunctus est; Joachim verò senex genuit ex Anna Mariam. Si germana hæc sit sancti Archangeli revelatio, nemo sanus pugnarit contra. Imò putaverit prudens, divinitus fuisse consultum, ne Mater Domini suo nuberet consobriño, ne scilicet tantum in posterum daretur patruelibus aliis, & amicitis, atque consobrinis conjugii contrahendi exemplum; cui nec sacri canones, nec facta essent omina futura. Caterum Amadei Raptus haud undequaque esse sincerissimos, vel ipsa Franciscani Patres ingenue fatentur; atque adeo cauto iudicio legendos. Interim dum de Revelationis certitudine non constat, priori stamus sententiæ, illiusque autoribus, & argumentis.

505 Sed quando de B. Virginis patre Joachimo ea scripsimus, quæ sacris Scripturis, sanctorumque Patrum doctrinæ maxime consentanea videbantur; restat ut de felicissima ejus conjuge, Deiparæque matre sanctissima Anna, nonnihil addamus, quod ad utriusque Genealogiam etiam pertineat, Mariæque filiarum generationem & Conceptionem illustriorem reddat. Sanctus Hippolytus Thebanus, quem citat falso nomine Portuensis & sequitur Nicephorus lib. 2. Histor. Eccles. Cap. 3. ait, avos Deiparæ maternos, parentes Dominae S. Annæ matris ejus, fuisse *Matban sacerdotem, & Mariam* ejus conjugem. Quibus autoribus subscribit Tornellus anno Mundi 4014. num. 9. & 4037. num. 4. Caterum Sanctus Cyrillus lib. de Ortu S. Mariæ Virginis, cui suffragatur Paleonidorus lib. 1. Trimerici Cap. 15. tradit parentes S. Annæ fuisse *Stolanum & Emerentianam*, idem scribit Dorlandus in vita S. Annæ. Utraque sententia concilietur, iudem fortasse Annæ parentes duplici nomine dicti; pater *Matheu Stolanus*, mater verò, *Maria Emerentiana*.

506 Quod ad Tribum, & familiam atinet, expungendum est nomen Sacerdotii ex narratione illa Hippolyti, dicentis, Annæ patrem fuisse Sacerdotem; quod nomen nec Cyrillus, nec ceteri habent: præterea pro *Matban*, quem corruptè etiam promunt Titus Bostrensis, & Enthymius Lucæ 3. scribendus est in Codice Nicephori, Hippolytum Thebanum referentis, *Matbat*, ut legitur in Vaticanis correctis Lucæ 3. 23. Et quidem Annæ patrem non fuisse ex Tribu Levitica, neque ex familia sacerdotali, sed ex Regia, & genere Davidico, id mihi apertè constat ex gravissimis testimoniis, quæ interim ejusdem Annæ matrem Emerentianam Levitidem docent. In Breviario Romano, studio Cardinalis Franc. Quignonii confecto, lectio 3. in Officio S. Annæ sic habet: *Anna Virginis Deigenitricis mater, Gaziri filia, ex Tribu Juda in Bethlehè oppido Judæa nata, Joachimi fuit uxor; qui & ipse ex eadem Tribu ex Nazareth, ambo ex stirpe regia, &c.* Idem in officio Nativitatis B. Mariæ Virginis, lect. 3. asseritur. Ex S. Hieronymo idem docet S. Vincentius in Ser. 2. de B. Mariæ Virginis Nativitate, nempe S. Annam nobilem esse *de genere David*. In Breviario S. Isidori Hispanensis in Officio S. Annæ extat Hymnus ad Vesperas, cujus hi versus:

Annam jam expressa Ut sit mater Matris In Breviario S. Isidori. Fudit radix Jesse, Nati Dei Patris. Anna

Qui Deiparæ mater.

Ex qua Tribu fuit sanctissima Anna.

Matthæus.

Anna Regum progenies, Et Sacerdotum series, Stirpe illustre parentibus Suis ornavit actibus. Eodem Hymno usam olim Ecclesiam Comdubensem, in vetusto illius Breviario comperimus, in quo officium S. Annæ sic habet: *Joachim cum esset annorum viginti, accepit Annam, filiam Achar uxorem, ex Tribu sua, ex genere David.* Hoc de paterna stirpe intelligendum, à qua familiæ nomen & accipere solemus, & dare; sicut & citatus Hymnus, qui etiam Annæ progeniem sacerdotali præfert, utpote paternam illam huic maternæ. De qua, cognationem Mariæ Deiparæ, & Elisabeth accipimus, quam Lucas cap. 1. 36. & 5. de filiabus Aaron, & ejusdem Virginis cognatam, dixit. Sed audiendum ejusdem SS. Annæ testimonium, quam S. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha in Encomio Præsentationis loquentem inducit. *Ego sum Anna, grato nomine: nata quidem sum ex genere sacerdotali, Tribu Aaronica, radice Prophetica, & Regia: Davidis autem & Salomonis, & eorum, qui deinceps fuere, stem ramus. Sum autem cognata tue uxoris Elisabeth. Quod maternum genus Aaronicum patrio prætulit Regio, ac Davidico, ex obfervantia fecit erga Sacerdotem, qui cum agebat urbanissima. Scio alios alter opinari, sed hæc certiora putabam.*

S. Germanus.

Ex Joachimo, & Anna concepta Deipara per communem propagandam rationem.

S. Epiphanius.

S. Petrus Damascenus.

S. Brigitta.

Sanctum Joachim, & Anna conjugium.

S. Damascenus.

507 His igitur parentibus Joachimo, & Anna conceptam fuisse Deiparam, superioribus argumentis persuademur; & quidem per communem propagandam rationem; ut universi docent Patres in principio hujus sectionis adducti: inter quos signanter Epiphanius in Hæresi 79. *Non aliter genita est, præter hominum naturam; sed sicut omnes ex semine viri, & utero mulieris.* Et B. Damianus serm. 3. de Nativitate. *Per coitum quidem est genita, sed non per efficaciam coitus enixa.* Idemque expressè docet S. Anselmus in Epistola de Conceptione ad Episcopos Angliæ. Quibus adde revelationem divinam S. Brigittæ lib. 1. Cap. 9. lib. 6. cap. 104. Ubi hæc extat Oratio à metipsa Anna dicta: *Benedictus sis tu, Jesu Fili Dei, & Filius Virginis, qui de conjugio Anna, & Joachim matrem tibi elegisti: ideo, propter preces Anna, miserere omnibus, qui in conjugio sunt, ut fructificent Deo. Dirige etiam omnes, qui ad conjugium tendunt, ut in eis honoretur Deus.* Et rursus in Sermon. Angelico cap. 10. *Dum Deus universa justa, & honesta conjugia, quæ à primi hominis creatione, usque in diem novissimum fieri debebant, prospiceret, nullum simile Joachim, & Anna conjugio, in omni divina charitate, & honestate, prævidit: & idcirco ei placuit, de hoc sancto conjugio honestissima sue matris corpus generari, in quo ipse cum omni consolatione dignaretur quiescere.* Sanctus quoque Damascenus multa sapienter juxta, ac piè de utriusque sanctissimis conjugibus scripsit in Orat. 1. de B. Mariæ Nativitate: *O par beatum, Joachim & Anna! Vobis omnis creatura adstricta est; per vos enim donum omnium donorum præstantissimum Creatori obtulit, nempe Castam Matrem, quæ solo creatore digna erat. O beatos Joachimi lumbos, ex quibus fluxit semen immaculatum! O præclaram Anna vulvam, in qua fœtus sanctissimus, per parva incrementa mirificè potius, & secundum propriam formam generatus est! Ac tandem religiola apostrophe utrumque parentem affatur, mox filiam: *O sacrum par, Joachim & Anna, hunc de Generatione sermonem accipite. O Joachim P. Ildeph. de Flores in Eccles.**

mi, & Anna filia, ac Domina, peccatoris orationem accipe. Amen.

508 Neque supprimenda est communis obiectio, contra Joachimi paternum, atque avitum, quod explicuimus, genus & contra naturalem Deiparæ, quam asseruimus, paternam item, atque avitam generationem. Obiectio ea est, quod Evangelica Genealogia in Josephum ejusque patrem Jacobum, non verò in Joachimum ejusque filiam Mariam defierit; quod necessarium videbatur, ut Christi Genealogia texeretur, cujus ea Virgo Mater extiterit. Singularis est Bonaventuræ responsio in Cap. 3. Lucæ: *Non fit sermo, inquit, de mulieribus in ordine Genealogiarum; (præter alia) propter memoriam primi peccati. Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricationem fuit 1. ad Timoth. 2. 14. & hac ratione non fit cursus per mulieres, nec est mos in Scripturis, nec fit mentio magna de Maria.* Eodem jure, neque viri in Genealogiam hanc erant admittendi; quamvis enim fuerit mulier seducta, vir non item: *Illæ, quod ei serpens locutus est, tanquam verum esset, accepit; ille autem ab unico noluit consortio dirimi, nec in communionem peccati, nec ideo minus reus, sed sciens prudensque peccavit;* inquit S. Augustinus libro 14. de Civit. Cap. 11. Si ille non minus reus; ergo non magis dignus, qui in Genealogiam Domini referretur: non illa indignior, quæ excluderetur. Hanc verò sententiam sapienter mutavit Bonaventura, cum se ipso longè eruditior Immunitatem Virginis luculenter testatus est. Si quæ ratio primi peccati in hac sacra Genealogia sit habita, putarim illam fuisse, quam reddit doctissimus vir, ac religiosissimus Pater Alphonsus Salmeron Tomo 3. Tractatu 28. nempe tam nomen B. Virginis, quam ejus parentes fuisse suppressos, *ne ejus generatio, & Conceptio communibus involveretur generationibus & conceptionibus, immaculata maculosis.* Sed, ut id verum sit, ita communis illa veterum Patrum responsio certa est, consuetudini Divinæ Scripturæ, tanquam sacrae historiæ legi, morem gessisse Evangelistam, ut nullâ foeminarum ratione habitâ, virorum tantum successionem describeret, à quibus filii & nomina peterent, & familiæ jura fortirentur, ut docent Hieronymus, Chrysost. Theophyl. & Euthymius Matth. 1. Ambrosius, & Beda Luc. 3. Damascenus lib. 4. de Fide cap. 15. & alii cummuniter.

Obiectio adversus dictam.

S. Bona. responsio.

509 Neque obstat, quod insignis foemina Judith c. 8. ab illustrium avorum censu commendatur; hoc enim, laudandæ celebritis Heroïnæ gratiâ, fecisse nunquam non licuit; quod tamen fas non esset, ubi de distinguendis familiis, dirimendisq; singularum juribus ageretur. Cum itaque id agerent Evangelici Historici, ut Jesu Christi genus à reliquis Israeliticis Tribubus, familiisque dispeccerent, virorum, non mulierum, catalogum ineundum sibi susceperunt.

510 Igitur, cum duplici teneretur munere Matthæus; (eadem de Luca ratio est) altero, Genealogiæ viritum describendæ; altero, Christi Domini, & consequenter Virginis Matris, familiæ explicandæ; eo usus est temperamento, quod res ipsa exigebat; nimirum, ut Mariæ, & Josephi Sponsi, & sponsæ, communes proavos tamdiu recenseret, quamdiu conjugii jura (quæ diversos saltem utriusque

M conjugis